



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Instrvctio Magistri Novitiorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniæ, 1613

Cap. 3. De prudentia erga Nouitios pueros, vel adolescentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48543)



uersè quippè hanc indulgentiam permittere non expedit: certum est. autem, erga viros graues, puerosue ingenuos è commodissimo vitæ genere in austerâ Religionis disciplinam transeuntes, illa vti opus esse. Consideret omnia Magister, & lumen à Deo iugiter postulet ad rem hanc, & alias similes, vbi periculum laxitatis imminere videtur, discernendas.

*Cap. 3. De prudentia erga Nouitios,  
pueros vel adoleſcentes.*

- 1 **D**iscrimen ætatis, prudentiæ lege, ab educatoribus idoneis obseruandum est: nè aut naturam vires acquirentem eneruent, & ferendis Religionis oneribus ineptam efficiant: aut è contrario, tenellæ ætatis prætextu, indulgentiam nimiam, & pueriles mores impunè excurrere, obseruantiaq; regularè extenuare permittât. Quocirca subiecta cõsilia prudēs Magister obseruet.
- 2 Mox ac Nouitij ætatis illius iuduti sunt, seorsim vocatos noui status, in què vocati sunt, amanter admoneat: horteturq; ne in posterum se pueros existiment,



ment, sed viriles actus ætate prouecta dignos cogitent, & proponant. Proderit autem puerilium actuum deformitatē & virilium operum honestatem repræsentare.

3 Obseruet accuratè, nè per Cœnobiū licenter discurrant, & communibus actibus inquieti interesse assuescant, quæ sunt vitia ætati illi familiaria.

4 Ne sit nimium seuerus defectuum censor: sed ita illos corripiat, vt parcat. Modicus quippè captus eius ætatis proprius culpas extenuat.

5 Sic illos priuatis colloquijs instruat, vt pædagogus solet principis alicuius liberos erudire: hoc est, amātissimè atq; creberrimè. Nam ætas illa communes exhortationes non satis ponderat, ob naturalem nec dum reformatam leuitatē. Atque idcirco quisque seorsim patiētia, & lenitate multa instruendus est, donec formetur Christus in illo.

6 Ne fidat inconstantia illi, quasi, quæ pollicentur pueri fideliter exequantur: sed rationem eorum, quæ cogitant, & efficiunt, sæpenumerò exigat: iteratisq; monitis cordatos efficiat.



7 Quod ad corporis curam spectat, ita rigorem disciplinæ temperet, ut naturam vires acquirentem non frangat. Exerceat mortificationem corporis leuiorem, cui æquum est ætatem illam assuescere, ut ad senectutem vsque crucis amorem seruet: at sanitatis non lædendæ rationem habeat. Ex incuria quippe admonitionis huius, nonnulli feruentiores, quàm prudentiores bono communi vehementer nocent. Nam quos in pueritia nimis corporis afflictionibus vexant, per reliquum totius vite tempus ægrotare faciunt, & morbi causam, hoc est mortificationem odisse. Creant igitur non bonos disciplinæ monasticæ obseruatores, sed perennes inimicos crucis Christi, quod in Religionibus præsertim austeris, attentè ponderandum est.

8 Mediocritas hic probanda est: ut per hebdomadas singulas, dimidiatis saltem binis diebus, pueri, & adulescentes vini abstinentiam, cibi temperantiam, caurenulas, & cilicia, vel alia mortificandi corporis instrumenta experiantur, ut carnem spiritui subiugare condiscant.



discant. Iam verò exceptis monitis his, quæ de pueritia adolescentiaque præscripsimus, alijsue similibus, cætera, quæ ad ætatem illam instruendam pertinent, erunt cum cæteris communia.

*Cap. 4. De prudentia erga Novitios maiores natu.*

1. **Q**UINATU maiores ad statum monasticum è sæculo ascendunt, accuratius examinandi sunt; & seuerius exercendi. Affueuerunt enim sæculo, & amorem bonorum temporalium altius conceperunt. Secum ferunt noxios vitiorum habitus, iudicij, ac voluntatis propriæ diuturnam consuetudinem, aliisque similia monastica perfectionis impedimenta, quibus Novitij iuniores carent. Quocirca nouo prudentiæ genere hic opus est.

2. Curet ergo Magister adultos ætate intus, & in cute pernoscere; solent enim eiusmodi homines statum monasticum non tam spiritu Dei, quam rationibus politicis acti sic aggredi, vt vno saltem